



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 95. Græcorum tumultus adversus unionis decretum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. Jalognio Marescallo, Orvallio, Joachimo
A.C. 1452. Rouantio, pluribusque aliis belli Præfe-
 ctis commisit, ut cum sexcentis Lancea-
 riis, suisque Sagittariis accurrerent, ur-
 besque Burdegalæ vicinas tuerentur, &
 Claromontii Comitum, hujus Provinciæ
 Præfecti jussis obtemperarent, donec ad
 futurum bellum major fieret apparatus.
 Interea vero Angli, quatuor millium ar-
 matorum suppetiis, quas Talboti filius
 adduxerat, necnon octoginta qua majo-
 ribus, qua minoribus navibus, omni ar-
 morum genere instructis augentur, ac
 primo victoriæ cursu Castellonium, Cadil-
 lacum, Liburniam, Fronsacum, multaque
 alia exigui nominis oppida, & castra oc-
 cupant, inter quæ tamen Fronsacum, cui
 Gamachus præerat, ceteris longe va-
 lidissimum erat.

§. XCV.

*Græcorum tumultus adversus unionis
decretum.*

Nec majori tranquillitate fruebantur
 Græci, utpote circa unionis decre-
 tum in partes divisi. Huic malo insu-
 per accessit, quod foris quoque gravius
 instarent Mahometis II. molimina, qui
 totus in eo erat, ut urbem, imperium-
 que suæ subjeceret potestati. Tunc tem-
 poris equidem Constantinus Isidorum
 Cardina-

Cardinalem, sedisque Apostolicæ Lega- Sæcul. XV.
tum sat benigno dignabatur alloquio, eum- A.C. 1452.

que ampla lætabat unionis spe: nihilo-
minus cum in templo S. Sophiæ liturgia
celebraretur, atque ex Diptychis nomi-
na Romani Pontificis, ac Gregorii Pa-
triarchæ recitarentur, urbs tota in sedi-
tionem concitata est, turmatimque Græ-
ci ad Gennadium Monachum convola-
bant, ab eo consilium petitori. Hic ver-
bis respondere detrectans, ad cellulæ
suæ fores scriptam affixit schedam, in
qua omnibus *impium* (ut calumniabatur)
unionis decretum Florentiæ cum La-
tinis confectum acceptantibus extremas
calamitates vaticinatus est. Quibus vix
lectis Sacerdotes, Abbates, Monachi, Mo-
niales, Milites, Cives, una omnes de-
nique, exceptis Senatorum, Aulicorum,
& Clericorum, qui Imperatoris partes se-
quebantur, paucissimis, vociferabantur:
*Anathema omnibus Latinorum unionem am-
plectentibus.* Nec ultra in S. Sophiæ Ec-
clesiam, quam pollutam proclamabant,
ingredi licitum erat, & omnes, quotquot
præsentibus Latinis Liturgiæ intererant,
velut excommunicationis vinculo irreti-
tos vitabant, eosdemque absolutionis be-
neficio, & Ecclesiarum aditu arcebant.

Nulli tamen alii, teste Duca, furiosius *Ducas c. 34*
tumultuari, atrociusque in Latinos odium
prodere visi sunt, quam Viri pene ad su-
persti-

Sæcul. XV. perstitutionem devoti, quibus sese junxerunt mulieres Religiosæ, quarum consulentiam moderabatur Gennadius factio- nis in Romanæ Ecclesiæ excidium conjurantis caput. Hæ ipsæ, quæ alias innocentis vitæ, ac purioris in Deum religionis fama apud vulgus clarebant, eo superbiæ, ac temeritatis progressæ sunt, ut audacter anathema dicerent omnibus, qui Decretum unionis vel approbassent, vel imposterum approbaturi essent. Unde præfatus Scriptor insert, nullum ex Græcis Schismaticis, imo ne ipsum quidem Imperatorem Florentino decreto sincera mente subscripsisse, in quo tamen manifeste fallitur, cum omnino exploratum sit, nonnullos saltem optima fide unionem professos.

§. XCVI.

Mahometis II. molimina de Constantinopolis obsidione.

Interea cum Schismatici quasi ad supremum pertinaciæ gradum venissent, Deus vindex Mahometem Sultanum sibi elegit in justitiæ suæ Ministrum, atque flagellum. Hic enim validissimo exercitu, quem nullis schismaticorum viribus superari posse confidebat, Græcos toto impetu obruere moliebatur. Hunc in finem prius Caromanniæ Principem in Asia sub-